munere fungendo, quasi graui onere portando, te ipsum
sensisse minime dubitandum sit: eò autem maiorem,
quò uel maius studium tuum erga clarissimam Cesareã
pietatis, et religionis famam, uel maior pietas erga
Ecclesiam esse debebat, cui ex hac re non minimam
perturbationem impendere, ut quisque pius ac prudens
rerum existimator fuerit, meritò suspicari posset. Hæc
ergo est ipsa causa doloris, quem protestandi abs
te facultas meritò ubiq3 attulit, quam si in te
ipso, quod minimè est credendum, expertus non
fuisses; in illis certè religiosissimis et principibus
uiris, et nomini Cesareo multis de causis addictis-
simis, qui cum iam ad protestandum accederes adi-
erunt, multis lachrimis mixtas preces et lamenta-
tiones secum afferentes, ut te ab incepto protes-
tandi proposito abducerent, hanc qualis sit facile
agnoscere potuisti. Illud uerò omnibus notum est,
rem malè exempli esse, et ab his potissimum usur-
patam, qui uel prorsus ab obedientia discessemnt,
uel in ea uacillare cœperunt. quare si hæc maximæ
perturbationis ecclesiæ signa certissima grauiter
S.mi D.ni N.ri animum commouerunt, qui paterno
amore semper Cæsaream M.tem est prosecutus, et
ecclesiæ paci, ut pastorem ecclesiæ decet, semper
studuit

studuit, nihil mirum: eò uerò grauiorem dolorem et
eius S.tis, et sacro Collegio, ac omnibus, qui Ecclesiæ
pacem amant incusserunt, quò minus hoc tempore
aliquid eiusmodi expectabatur; quid enim minus
expectari poterat a Cæs.a M.te, quàm eo tempore,
quo contra eos, qui ut rebellionis nomen erga eius
m.tem, maximè uerò erga Ecclesiam Romanam obte-
gerent, Protestantes se appellauerunt, gloriosissimam
uictoriam reportauit: ideq3 non tantum interuenien-
tis sua, ut te hæc Orator nimis leuiter existimans
auxilia S. S.tis in hoc ipso bello Cæs.eæ M.ti missa dixi-
sti, sed ita prolixè copijs, et pecunijs adiuuante, ut
uires patrimonij Ecclesiæ excesserit; omnia autem
tempore opportuno data, ut ipsa opportunitate auxilia
utcunq3 magna beneficia et utilitate superarent.
Quid igitur minus expectari potuit, quàm ut adepta
uictoria, et ea adhuc recenti tales fructus pietatis,
et beneuolentiæ S.tis eius Cæs.a M.te redderet, ut
finis illius belli principium protestandi contra eam
futurum esset? An expectari ut faceret uoas, et fe-
cit labruscas dicit propheta in Dei persona ad populum
suum cui multa beneficia illis collata cum eorum
ingratum animum redargueret. Si uerò ipse Dei in
terris Vicarius Cæs.am M.tem tanq3 plantam nobilissimam